riſiis in fol. ann. 1644. *cum Scholijs Franciſci Scorſi Panormitani Societatis Ieſu.*

S. THOMAS AQVINAS natione Italus, patria Neapolitanus, Ordinis ſancti Dominici Religioſus, S. Theologiæ Doctor Angelicus, anno 1224. natus, doctrina, ſanctitate ac miraculis illuſtris fœliciter in Domino obdormiuit anno 1274. *Eius opera* 18. *Tomis comprehenſa excuſa ſunt Antuerpiæ, apud Ioannem Keerbergium* 1612. *in fol.*

✠ B. THOMAS à Villanouæ, citerioris Hiſpaniæ vrbe oriundus, ex D. Auguſtini Eremitarum ordine ob inſignes animi dotes Valentinus Archiepiſcopus à Carolo V. Imperat. & Hiſpaniarum Rege nominatus eſt: cuius temporibus celebris fuit Theologiæ Magiſter & concionator. Obiit anno 1554. Inter beatos à Paulo V. & Gregorio XV. relatus. *Conciones eius prælo mandatę ſunt vno vol. in fol. Compluti apud ferdinandum Ramirez, anno* 1581. *Quę locum ob viri ſanctitatem, eſtò inſtituto poſterioris, hic inuenient.*

V

S. VALERIANVS Cemelienſis ſiue Cemelenenſis Epiſcopus. Floruit anno Chriſti 450. Leonis Magni temporibus. *Eius opera extant Pariſiis, apud Sebaſtianum Cramoſy* 1612. *in* 8.

Z

S. ZENO Veronenſis Epiſcopus & Chriſti Martyr, vir in ſacris litteris admodum verſatus, Pater patriæ dictus. Claruit ſæculo tertio circa annum 260. Obiit ſub Gallieno Imperatore pridie Idus Aprilis. *Eius opera habentur Tom.* 2. *Bibliotb. Patrum Bignæi Pariſiis,* 1610. *in fol.*